cibis nos precipis abstinere. ita etiam a uiciis omnibus eius pio interuentu abstinere concede: quatinus celebrandam eius festiuitatem cordibus purificatis digne ualeamus celebrare. Per dominum. Lectio epistole beati iacobi apostoli.

Iacobus dei et domini nostri ihesu christi seruus: duodecim tribubus que sunt in dispersione salutem. Omne gaudium existimate uos fratres mei: cum in temptaciones uarias incideritis. Scientes quod probacio fidei uestre: pacienciam operatur. Paciencia autem opus perfectum habeat: ut sitis perfecti et integri in nullo deficientes. Siquis autem uestrum indiget sapiencia: postulet a deo qui dat omnibus affluenter et non improperat: et dabitur ei. Postulet autem in fide: nichil esitans. Qui autem esitat: similis est fluctui maris qui a uento mouetur et circumfertur. Non ergo existimat homo ille: quod accipiat aliquid a domino. Vir duplex animo: inconstans est in omnibus uiis suis. Glorietur autem frater humilis in exaltacione sua: diues autem in humilitate sua: quoniam sicut flos feni transibit. Exortus est enim sol cum ardore: et arefecit fenum. et flos eius decidit: et decor uultus eius deperiit. Ita et diues: in itineribus suis marcescit. Beatus uir qui suffert temptacionem: quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam uite. quam repromisit deus diligentibus se.

